



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,  
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et  
Ivrisdictione Ecclesiastica**

**Bene, Thomas del**

**Lugduni, 1674**

Bulla 5. Pauli II. prohibitio alienandi bona Ecclesiastica, aut illa vltra  
triennium locandi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

# ADDITIO BULLARVM, QVÆ AD MATERIAM

de Immunitate spectant, iuxta seriem Summorum Pontificum  
qui de ea aliquid sanxerunt.

## PAULI II. BULLA II.

De his quæ observare debent Iudices  
à Sede Apostolica delegati, in causis  
alienationum bonorum  
Ecclesiasticorum.

*Facultatem hanc causas delegandi abstulit omnibus Sedis  
Apost. Officialibus Pius V. ut infra in eius const. 69.  
Volentes.*

De materia alienationum, dicam hic infra in const. 5.  
Ambitiosæ.

PAVLVS EPISCOPVS,  
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei  
memoriam.

*Causa const.*

**C**VM in omnibus iudiciis sit rectitudo iustitiæ, & conscientiæ puritas observanda, id multò magis in concessionibus alienationum rerum Ecclesiasticarum conuenit observari, in quibus de Christi patrimonio, & dispensatione pauperum, non de proprio cuiusque peculio agitur, vel tractatur. Quapropter oportet ut in examinandis huiusmodi alienationum causis, quæ à Sede Apostolica in forma, si in euidenter utilitatem cedant, oneratis Ecclesiasticorum Iudicum conscientijs delegantur, nihil fauor usurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmij iustitiam, conscientiamque subuertat.

*Iudices delegati causarum eiusmodi alienationum curent  
hic expressa.*

§. 1. Monemus igitur, & sub interminatione diuini iudicij omnibus Commissariis, & delegatis huiusmodi districtè præcipimus, ut cautè, & diligenter attendant causas in literis Apostolicis per supplicationes expressas, illasque sollicitè examinent, atque discuteant, testes, & probationes super narratorum veritate recipiant, & solum Deum præ oculis habentes, omni timore, aut fauore deposito, Ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in læsionem, aut detrimentum earum decretum quomodolibet interponant.

*Contraueniens penas hic descriptas incurrit.*

§. 2. Si quis autem Commissarius, vel delegatus conscientiæ suæ prodigus, in grauiam, aut detrimentum Ecclesiæ, per gratiam, aut timorem, vel sordes alienationi consenserit, aut decretum, vel auctorita-

*Thom. Delbene de Immun. Eccl. Pars II.*

tem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat, Episcopus verò, aut Superior, ab executione officij per annum nouerit se suspensum, ad æstimationem detrimenti Ecclesiæ illati nihilominus condemnandus, sciturus, quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluerit, à quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari.

*Complices quoque in eas incidunt.*

§. 3. Is verò, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procurauerit, aut per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurrit, à qua non nisi per Romanum Pontificem possit absolui, ad restitutionem nihilominus rerum alienatarum cum fructibus quandocumque de præmissis constiterit, condemnandus.

*In commissionibus hoc Stat. inferatur.*

§. 4. Volumus autem, quod Legati, & Commissarii prædicti de poenis constitutionis nostræ specificè moneantur, & in quibuscumque literis, & commissionibus huiusmodi hoc statutum nostrum inferatur.

Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1465, 5. Id. Maij, Pontif. nostri anno primo.

## PAULI II. B. V.

Prohibitio alienandi bona Ecclesiastica, aut illa ultra triennium locandi.

*Hæc bulla est inter extraneas communes, sed hæc eam posui, quia in iudiciis quotidie offertur. Et ut tibi dicam, quod circa locationes huiusmodi extat Conc. Trid. sess. 24. cap. 11. Et quoad alienationes habes etiam sup. const. 1. Leon. I. Occasio, & infra Paul. IV. constitut. 2. In iunctum, & Pij. V. const. 69. Volentes, & aliam const. 98. Et si de singulis. Quo verò ad indices huiusmodi alienationum habes hic sup. constitut. 2. Cum in omnibus.*

PAVLVS EPISCOPVS,  
Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

*Proœmium.*

**A**mbitiosæ cupiditati, illorum præcipuè qui diuinis & humanis affectatibus, damnatione postposita,

B b

immobilia

immobilia & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, Monasteria & pia loca reguntur, illustrantur, quæ, & eorum ministri sibi alimoniam vendicant, prophanis vltibus applicare, aut cum maximo illorum, ac diuini cultus detrimento exquisitis medijs vsurpare præsumunt, occurrere cupientes.

*Prohibitio alienandi.*

§. 1. Omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus & bonis in emphyteusum ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidentis utilitate, ac de fructibus & bonis quæ seruando seruari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuè valitura constitutione fieri prohibemus.

*Innouatio constit. Prædecessorum.*

§. 2. Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus & decretis alijs super hoc editis, quæ tenere præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris.

*Recessio alienationum aliter fiendarum, cum alijs pœnis.*

§. 3. Si quis contra huius nostræ prohibitionis ferriem de bonis & rebus eisdem quicquam alienare præsumperit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris vel momenti, & tam qui alienat, quàm is qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat, alimanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiæ præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus: & si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi, animo (quod absit) perseverauerit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine & administratione suæ Ecclesiæ vel monasterij cui præsidet, in spiritualibus & temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores verò Prælati commendatarij, & alij Ecclesiarum Rectores beneficiati, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus administrationibus, officiis, Canonicatibus præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura & sine cura, secularibus & regularibus beneficiis, quorum res & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto priuati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quæ propterea priuata fuerint) liberè de iure conferri, nisi aliàs dispositione Apostolicæ Sedis sint specialiter aut generaliter reseruata, & nihilominus alienatæ res & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, liberè reuertantur. Nulli, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, Kal. Martij, Pont. nostri Anno quarto.

P I I V. B. V I I I.

De clausura & numero Monialium cuiuscunque Ordinis, & pœnis earumdém absque licentia Superiorum, ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, vel epidemiæ tantummodo eis concedenda, è Monaste-

rijs egredientium, concomitantiumque & receptantium, ac Superiorum aliter eis licentiam concedentium. Necnon de elemosynis pro ipsarum Monialium subuentione colligendis.

*Quoad clausuram habes etiam infra Greg. X I I. const. 28. Vbi gratiæ, & Pauli V. const. 74. Monialium. Et quoad elemosynas vide etiam eisdem Greg. bullam 8. Deo factis. Et const. Bonif. V I I I. hic citatam, videre est in tit. de Stat. Reg. in 6. Decretumque Conc. Trid. in sess. 25. cap. 5.*

Quoad verò consensus Monialium, sine quo mulieres seculares licentijs Monasteria ingrediendi vti non possent, vt illis vti valeant, declarauit quod de cætero expresse, capitulariter, & per secreta suffragia haberi debeat, S. D. N. Urban. V I I I. const. 29. Sacrosanctum stem. 4.

P I V S E P I S C O P V S.

Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

*Exordium.*

Circa pastoralis officij nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam, quantum nobis ex alto permittitur inuigilantes, assidue ad ea, per quæ singulis erroribus, & excessibus obuiatur, ac personis quibuscumque, præsertim feminei sexus virginitatem suam Altissimo vouentibus, sub religionis iugo Christo Saluatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, à semita iustitiæ & honestatis declinantibus, ne quidquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularibus ponat honestatis gloriæ maculam, & diuinam meritò possit offendere Maiestatem, opportunè succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantie partes propensius impartimur, prout id in domino salubriter expedire conspiciamus.

*Moniales tacite vel expresse Religionem professæ clausuram seruent.*

§. 1. Hac igitur perpetuè valitura constitutione, inhærentes etiam constitutioni fel. rec. Bonifacij Papæ V I I I. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Periculoso*, & decretis Conc. Trid. super clausura Monialium editis, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuè decernimus, vniuersas & singulas moniales, præsentis atque futuras, cuiuscunque Religionis, Ordinis vel militiarum, etiam si Hierosolymitanæ sint, quæ vel iam receptæ sint, vel in posterum in quibusvis Monasteriis, seu domibus recipiuntur, & tacite, vel expresse religionem professæ, etiam si conuersæ, aut quocumque alio nomine appellantur, etiam si ex institutis, vel foundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, nec vquam in earum Monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea seruata non fuerit, sub perpetua in suis monasteriis, seu domibus debere de cetero permanere clausura, iuxta formam dictæ constitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ V I I I. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Periculoso*, in sacro Conc. Trid. approbatam, & innouatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus & innouamus in omnibus & per omnia, ac illam distictè obseruari mandamus.

*Inobedientes coercantur per Ordinarios.*

§. 2. Quod si aliquæ moniales forsitan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel foundatione regulæ suæ fretæ animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarij vnà cum superioribus earum, omnibus iuris & facti remedijs compellant easdem tanquam